



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **MVANZAËNSIS*** ECCLESIA MVANZAËNSIS
EVEHITUR AD DIGNITATEM

ARCHIDIOECESIS METROPOLITANAE EODEMQUE NOMINE

NOVA CONDITUR PROVINCIA ECCLESIASTICA

Universae Ecclesiae pro Nostro munere prospicientes, necnon supremam quam in eadem habemus potestatem exercentes, libenter consilia confirmamus ac tuemur, unde Christifideles aliquam utilitatem capere possint. Cum igitur, auditis quorum interest votis, Congregatio pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide, modo censuerit novam in Tanzania instituendam esse provinciam ecclesiasticam nomine Mvanzaënsem, quae cognomini dehinc archidioecesi Metropolitanae iure subsit, de memoratae Congregationis sententia ad Nos hodie relata, quam ratam habemus, deque potestate Nostra Apostolica hisce Litteris haec, quae sequuntur, statuimus atque iubemus. Dioecesim Mvanzaënsem evehimus ad gradum archidioecesis Metropolitanae novamque eodem nomine provinciam ecclesiasticam condimus, quae constet tum eiusmodi metropolitana Ecclesia tum sedibus posthac ei suffraganeis Bukobaënsi, Geitaënsi, Musomensi, Rulengensi et Shinyangaënsi. Uno eodemque tempore Venerabilem Fratrem Antonium Mayala, hactenus Episcopum Musomensem, alteris quidem Apostolicis Litteris Nostris nominamus Archiepiscopum et Metropolitam Ecclesiae Mvanzaënsis, ita videlicet ut et ipse iuribus exornetur et privilegiis, quibus ceteri eiusdem ordinis praesules ac Pastores fruuntur, necnon officiis et oneribus eorum propriis adstringatur. Quae hic statuimus, ea ad effectum adducantur. Has denique Apostolicas Litteras nunc et in posterum ratas esse volumus, contrariis non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die duodevicesimo mensis Novembris, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo septimo, Pontificatus Nostri decimo.

AUGUSTINUS Card. CASAROLI

a publicis Ecclesiae negotiis

BERNARDINUS Card. GANTIN

Congr. pro Episcopis Praef.

Eugenius Sevi, *Protonot. Apost.*
Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

*A.A.S., vol. LXXX (1988), n. 4, pp. 354-355

© Copyright 1987 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana